



PROGRAMMA INAUGURALE 28
ORDINIS MEDICI 1728, 2
IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA,
DISSERTATIONEM
PRO GRADU DOCTORIS,
ET SUMMIS IN ARTE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE
ET MAJORUM MORE OBTINENDIS,
A NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
CANDIDATO
WILHELMO HENRICO
S. Saldtfchmiedt/
DE
MORBIS SIMULATIS AC DIS-
SIMULATIS,
DIE XXVII. NOVEMBR. H. ET L. CONSuetis
PUBLICÉ ET SOLENNITER HABENDAM
INTIMANS.

P. P. KILIÆ HOLSAT. DOMINIC. XXV. POST TRINIT.
ANNO REPARATÆ SALUTIS. M DCC XXVIII.
SUB SIGILLO FACULTATIS.



edici officium duplex esse, clinicum & forense, atque istud circa agrotantium lectos, in cognoscendis & curandis morbis, hoc vero circa casus in foro occurrentes, versari; illud privatum, hoc vero publicum esse, nemmo in dubium vocabit, cui ignotum non est, Legum peritiam sociam & adjutricem fidam sibi, sacro quasi foedere in jure dicendo junxisse Medicinam; ita ut ex utriusque connubio ortum duxerit scientia medico legalis seu forensis, admodum utilis & necessaria omnimode reipublicæ, circa varios casus in judiciis quotidie fere occurrentes, quorum decisio non nisi ex principiis Medicis est haurienda. Quare ipsæ quoque Leges, harumque Doctores, quin Legum Imperatoriarum Maiestas, & Pontificiarum Sanctimonia Medicorum judicio se ultro submittit, secundum Condronchium method. testificandi. Et Medicinæ opera ipsæ leges publicæ uti coguntur, quarum multas sine ea nec legislator condidit, nec explicare audet interpres; & medica implorat oracula Prator cautus, monente Bohnio, de officio Medicidipl. p. 530. Unde factum est sine dubio, ut circa insignem hanc

SITATINQDAT QJJDIC 813

Artis

Artis Medicæ partem multi magni nominis Medici jam occupati fuerint, quibus omnibus recensendis nec vacat impræsentiarum, nec libet. Hoc saltem monere liceat, quod tanta commentatorum, tanta casuum, observationum & responsorum copia & multitudine, quicquid occurrit difficultatum, nondum penitus sit exhaustum, quin occurruunt subinde ejusmodi circumstantiae, quæ suspensum tenent judicium aut certe reddunt dubium Judicem & Medicum alias perspicacissimos. Nemo igitur Ordini nostro vertat vitio, si intra binas septimanaes binas admittamus dissertationes inaugurales circa materias Medico forenses versantes & occupatas, *de Vulneribus arteriarum in artubus*, *sepe funestis, raro lethalibus unam*; & præsentem alteram *de morbis simulatis & disimulatis*. Cum vero pro more in Facultate recepto de natalibus & studiis laudabilibus præsentis nostri Candidati

WILHELMI HENRICI Waldschmiedt,
aliqua commemoranda sint, Vita Curriculum propriis verbis
ab eo conceptum hic referre liceat.

Natus sum in hac Alma circa præsentis seculi initia, ubi Genitorem habeo virum Experientissimum & pie Venerandum, WILHELMUM HULDERICUM WALDTSCHMIEDIUM, Med. Doct. & Profess. Primarium nec non Philosophæ Experimental. Prof. Ordinarium, Matrem autem honestissimam Matronam, JOH. DAN. MAJORIS, Archiatri quondam Ducale & Medicinae Doct. itemque Professoris in hac Academia Primarii, viri etiam post fata Celeberrimi, Filiam. Quibus Optimis Parentibus senectutem precor longævam & vegetam, Avus Paternus fuit JOH. JAC. WALDSCHMIEDIUS, Med. Doct. ejusdemque in Marpurgensi florentissima Academia Prof. Primarius, & Sereniss. Hassorum Principis Archiater & Consiliarius, cuius præclara de Arte nostra Salutari merita post fata

adhuc loquuntur. His igitur parentibus natus prima huma-
niorum studiorum fundamenta in Schola patria posui, quæ
postea privatorum Præceptorum fides atque industria magis
excoluit, donec Anno 1717. Academæ nomen darem, Patre
t. t. Pro-Rector Magnifico. Hinc sedulam Philosophiæ ope-
ram navabam, & Primo Cl. Mag. BüTZERUM (jam Verbi
Divini Ministrum Reverendum) Logicam docentem audivi;
deinceps integrum Philosophiæ Cursum explicante Viro No-
biliss. & Amplissimo DN. Prof. GENTZKENIO bis absolvì.
In Mathematicis Nobiliss. & Acutissimum Dn. Prof. KOSIUM
Manuductorem habui. Potissimum vero in Physica addiscen-
da eram strenuus, bene gnarus triti istius, quod ubi desinat
Physicus, ibi incipiat Medicus, hinc quoque Collegio Physico
Experimentali a Patre habitu attentus interfui. Quoniam ve-
ro totum me Arti Salutari destinaveram, philosophicis doctri-
nis præparatus Cl. & Experientiss. Dn. Doct. RICHTERUM,
Rev. Lubecensium Episcopi nunc Consiliarium Aulicum &
Archiatrum, in Boerhaavii Instit. Medicas commentantem,
item Materiam Medic. Viresque Remediorum explicantem
multo cum fructu audivi. Præprimis vero Parenis Veneran-
dus ad omnem Theoriam Medicam cognoscendam fidissimi
instar comitis manu me duxit. Is, nimirum in Celeberr. Ber-
geri de N. H. Librum fuit commentatus, Instit. Medicas tra-
didit, Heisteri Compend. Anatomicum ita pertractavit, ut in
Sceleto simul compagem & connexionem ossium, atque in
alio musculis artificiose præparatis instruendo omnia diligenter
demonstraret. Botanicam præterea, Materiam Medicam, Chy-
miam, Chirurgiam docuit, hisque Methodum formulas con-
cinne præscribendi adjunxit. Sæpius etiam Sectionibus a Pa-
tre in cadaveribus violenta morte defunctorum administratis
interfui, nec non Anatomia Publicæ A. 1722. ab eodem insti-
tuta. Sub ejusdem quoque Præsidio, Opponentis munere
ali-

aliquoties defunctus, A. 1723. *Dissert. de Abortus facti Signis
in Matri, praesertim defuncta, partibus generationi dicatis inve-
niendis*, publice defendi. Inde Lipsiam, Optimam illam Mu-
sarum Sedem, profectus, Viro Exper. atque Magnif. D. D.
ETTMÜLLERO, Academiæ t. t. fasces gerente, numero ci-
vium addicetus fui. Hujus Exc. Viri humanitate impetrabam,
ut non solum per integrum triennium in visitandis sanandisque
ægris Nosocomii ad vallem rosarum siti comite me uteretur,
sed etiam cadaveris foeminini hydrope ibi extincti Anatomen
manibus meis concrederet. Taceo fructus singulares ex
Collegio ejusdem Clinico-Casuali perceptos. Æque fidelem
quoque & benignum in me sum expertus Excell. Dn. Doct.
SCHACHERUM Facult. Med. Decanum perpetuum, cuius
singularem in docendo fidem, perspicuitatem atque huma-
nitatem grata potius mente recolere, quam multis quidem
verbis, non sufficiuntur tamen, hic laudasse, præstat. (1) e-
nim *Physiologiam* ad Anatomiae ductum, (2) *Materiam Medi-
cam* cum annexa doctrina formularum, (3) denique *Praxin Me-
dicam* privatum me edocuit. Præterea ex publicis ejus Le-
ctionibus nunquam non doctior discessi. In *Chirurgicis* mi-
hi facem prætulit Excell. atque Doctiss. Dn. Prof. atque Doct.
PLATNERUS privatum in *Heisteri Chirurgiam* commentatus,
privatissime autem fascias commodissime applicandi artem
fideliter monstrans. Cl. WALTHERUM quoque Anat. &
Chir. P. P. in Anatomicis atque Chirurgicis veneror; qui simul
IX. in cadaveribus administratis Anatomias publicis in celebra-
tissimo per universam Europam Theatro Anatomico me præ-
sentem & manus præparationibus admoventem habuit. Una
harum instituebatur in meretrice foetum partui proximum
utero gerente. *Chymiam* Theoreticam æque ac Practicam a
Viro Prænobiliss. Doctissimoque Dn. Doct. QUELLMAL-
TZIO, nunc Anat. & Chir. P. P. in proprio ejus Laborato-

rio edocitus sum, cuius quoque Disputatorii Collegii mem-
brum me fuisse recordor. In Botanicis Praeceptorem ha-
bui Cl. & orbi erudito satis notum Dn. HANIUM, fre-
quentes subinde excursiones instituentem. Tum etiam in
Horto Botanico Prænobiliss. Dn. Doct. LISCHWITZII de-
monstrationibus sedulo adstiti. Nec philosophica neglexi. Ce-
leberrimum enim Profess. MENTZIUM *Physic. Experimentalis*
pandentem bis audivi; & simile Collegium frequentavi apud
Virum Experientiss. & Doctiss. Dn. Dr. LEHMANNUM, cuius
ingentem pretiosissimarum machinarum copiam saepe sum ad-
miratus. Integrum denique *Cursum Mathematicum* absolvi,
præeunte Clariss. Mathemat. Profess. HAUSENIO. Prä-
terea ex crebra Bibliothecarum frequentatione multum fru-
ctus collegi. Denique me multis gloriari nolo, Magni
in Illustri Petropolitana Academia degentis Patroni favo-
re factum esse, ut Adjuncti Philosophici Ordinis dignitas u-
na cum Salario annuo in Nova illa Musarum sede mihi pa-
raretur, id quod Celeberrimus apud Wittembergenses Ma-
theeos Professor Dn. HASIUS, cui hoc negotium commis-
sum erat, mihi per litteras indicabat; quam tamen varias
ob causas eo tempore modeste declinare coactus fui. Cæte-
rum occasione subinde oblata, Jenam quoque atque Halam
studiorum gratia invisi, ubi ex Medicorum Celebriorum par-
tim Collegiis partim conversatione atque alloquio haud parum
me profecisse memini. Hinc Ann. 1726. sub finem M. Julii
Hamburgum, Celeberr. illud Germaniae Emporium me contuli,
ibidemque, quoniam occasio sat ampla occurrebat, in Bota-
nicis, Medicis & Chirurgicis plura proficia hauriendi, per
anni fere dimidium sum commoratus. Prä reliquis Celeberr.
Dn. de SPRECKELSEN J. U. L. & Botanophili Summi præ-
stitum mihi favorem & humanitatem singularem nunquam
satis dignis possum prædicare præconiis, semper vero pecto-
re

re gratissimo recondam. Hujus enim amoenissimum hortum
sæpiissime mihi ingredi plantasque exoticas numerosissimas
contemplari licuit. Ut nihil nunc addam de Gazophylacio
eiusdem, naturæ spoliis splendidissimis undique superbientes,
quæ mihi admirationem summam moverunt non seruel.
Grato etiam animo agnosco Experientiss. Dn. Dr. LOSSAVII
Chirurgi æque ac Chymici consummati benevolum in me
affectionem, per quem non solum Laboratorium ejus Chymicu-
m intrare, sed etiam Operationibus Chirurgicis diversis so-
lerti & experta ejus manu factis interesse mihi licuit. Sectioni
quoque & extractioni calculi vesicæ, gallinacei ovi figura
atque magnitudine, ab experto Chirурgo Dn. CARPSERO in
puero feliciter instituta spectator adfui. &c. Brumali jam fri-
gore invalescente domum repetii, & datis ad Illuſtr. Medicorum
Ordinem litteris facile obtinui, ut ad consueta examina
privata admitterer, quibus die 13. & 14. mensis Decembr. per-
actis, non solum Candidati titulo me ornavit, verum etiam
talem me judicavit Ampliss. Facultas, qui Summos in Medici-
na Honores & Privilegia Doctoralia consequerer. Postquam
igitur per aliquod interea tempus Eruditorum, præprimis
Medicorum, consortio in hac Alma sum fruitus, meque in-
terdum etiam in Artis Operibus exercui, nunc tandem, quod
concessum dudum erat, in examen Publicum prodire, & de-
fendere Dissertationem meam DE MORBIS SIMULATIS AC
DISSIMULATIS in animum induxi. Faxit Altissimum Numen,
ut & hoc succedat feliciter! Cui Æterno Numini pro præsti-
to mihi haec tenus auxilio sit Laus, Honor, & Gloria in sem-
piternum! Atque Idem, ut Propitium Sua mihi Clementia
adsit in omni vita mea, & operi manuum mearum benedicat,
inque proximi salutem ac commodum Suamque Gloriam u-
nica dirigat: Patronos pariter, Promotores atque Præcepto-

res

res meos longa vegetaque vita beet, humillimis adoro precibus.

Hæc sunt, quæ Candidato paulo prolixius tradere placuit,
& cum disputationi huic inaugurali, sub praesidio Viri Magnifici Amplissimi & Experientissimi Dni CAROLI FRIDERICI LUTHERI, Med. Doctoris & Professoris longe Celeberrimi publice ventilandæ proximus XXVII. Novembris sit destinatus, ad actum hunc solennem Omnes Omnium Ordinum PROCERES, Generis & Munerum dignitate conspicuos, Musarumque PATRONOS omnes, Civesque Academicos, qua pars est observantia & benevolentia rogantur & invitantur.
P. P. XXI. Noy. M. DCC XXVIII.



ULB Halle
004 367 324

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue



PROGRAMMA INAUGURALE
ORDINIS MEDICI 1728, 2
IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA,
DISSERTATIONEM
PRO GRADU DOCTORIS,
ET SUMMIS IN ARTE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE
ET MAJORUM MORE OBTINENDIS,
A NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
CANDIDATO
WILHELMO HENRICO
Saldtschmidt/
DE
**MORBIS SIMULATIS AC DIS-
SIMULATIS,**
DIE XXVII. NOVEMBR. H. ET L. CONSuetis
PUBLICÉ ET SOLENNITER HABENDAM
INTIMANS.

P. P. KILIÆ HOLSAT. DOMINIC. XXV. POST TRINIT.
ANNO REPARATAE SALUTIS. M DCC XXVIII.
SUB SIGILLO FACULTATIS.